



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

Parisiis, 1644

XV. Die dominico non celebrentur Missae in capellis, etiam ex fundatione, nisi post completam Missam parochialem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15644

ANNO
 CHRISTI
 1527.

pis, recognitis & approbatis dictis literis dispensationis: transgressores autem per ordinarios locorum poena condigna plectantur.

Sed quia in diuersoriis aut hospitiiis sunt interdum capellæ, vbi viatores ac transeuntes passim celebrari faciunt, neque curant ad ecclesiam parochialem, vel aliam ecclesiam accedere; præcipimus suffraganeis nostris, vt inhibeant sub poena suspensionis a diuinis omnibus & singulis presbyteris sibi subditis, ne in huiusmodi capellis deinceps celebrare attentent. Quia tamen extranei sacerdotes a celebratione Missæ, aut transeuntes ab auditione facile cohiberi non possent, idcirco iidem suffraganei nostri prohibeant sub poena excommunicationis vel alia poena, magistris dictorum hospitiorum, seu diuersoriorum, quod non patiantur deinceps in illis capellis celebrari.

XV.

Item ne populus distrahatur a Missa parochiali, & ab auditione mandatorum Dei & ecclesiæ, prohibemus, ne in capellis ab antiquo etiam episcoporum auctoritate fundatis, aliæ Missæ celebrentur, quam illæ, quæ de fundatione extiterint. Et si quæ sint Missæ, quæ ex tenore fundationis dici debeant die dominico, non dicantur, nisi post Missam parochialem.

Admonemus insuper suffraganeos nostros, vt ex causis præmissis, & præsertim hoc tempore, quo videmus multos adduci ad contemptum præceptorum ecclesiæ & ministrorum eiusdem: non facile admittant fundationes capellarum, quibus ordinatur celebratio Missæ dominico die, ea potissimum hora, qua populus vniuersus conuenire debet ad audienda diuina, præceptaque Dei & ecclesiæ.

Et vt magis ac magis tollatur occasio celebrandi Missas in locis ac oratoriis priuatis, iniungitur suffraganeis nostris, vt non sint faciles ad consecranda altaria portatilia: sed tunc demum ad ea consecranda accedant, cum intellexerint ea esse requisita pro ecclesiis aut aliis locis, in quibus licite celebratur. Et per suos decanos rurales aliosve officarios prouideant, ne prædicta altaria portatilia retineantur in domibus priuatorum.

De altari-
 bus portati-
 libus non
 facile con-
 secrandis.